





(16)

Amplissimæ funeris Deductioni
VIRI
Admodum Reverendi, Nobiliss. ac maximè strenui,
Dn. CHRISTOPHORI ZASTROVII;
Illustriss. Celsiss. ac Reverendiss. Principis ac Domini, Dn. BOGISLAI, Duc. Stet. Pom. &c. Principis ac Domini qvondam; heu qvondam! nostri clementissimi; nunc desideratissimi, ex secretioribus consiliarijs præcipui, Archidicasterij Ster. Præsidis, & Rev. Capituli Camm. Vicedomini eminentissimi; nati Julini annô Christi 1594. d. Michaeli Archangelo sacrô, intra 8. & 9. matur. denati Stet. 25. Novemb. intra 8. & 9. mat. annô Christi 1636. ætatis suæ 43. Sep. ibid. in æde divæ Virgini sacrâ 20. Apr. anno 1637.

Ut

Omnes & singuli stud. Juv. in Ducali Pæd. freqventes & condolentes intersint, seriò hortatur,

M. Martinus Leuschner ibid. Rector.

STETINI, Typis GEORGII GOETSCHII.



GRavis admodum & memoratu digna Esaiæ Prophetæ qverela est cap. 57. *Justus perit, & nemo reponit in animô: homines, inqvam, benigni recipiuntur, nemine advertente, ante adventum ipsius mali recipi justum.* Qvæ sanè verba singula, si paulô penitiùs introspiciantur, evidentiꝰ latentem ἐνεργείας vim, qvam in se continent, exserunt, deq; multis scitu maximè necessarijs discendi cupidos instruunt atq; informant. Miramur nos & in stuporem pene vertimur, qvoties eos, qvos & egregia naturæ bonitas, & verarum virtutum atq; præcellentis eruditionis decus, & passim celebrata solidæ prudentiæ atq; industriæ laus eo usq; extollunt in eáq; constituunt luce, ut qvosvis juxta se positos in sui admirationem abripiant, præcipitatâ qvadam fatorum violentiâ, omnium opinione citiùs, cõcidere, marcore palloreq; sqvalescere, tandemq; non sine cordoliô, è viventium numerô expungi videmus. Nec id sanè sine causâ gravissimâ. Ipsa enim naturæ lex salusq; humanæ societatis postulare videntur, ut, qvos excellentioribus dotibus divina exornaverit benignitas, qviqve vitæ communi magis prodesse possint, diuturnius vivendi spatium conseqvantur. Verùm entheus noster vates, â divinô edoctus spiritu, profundiori omnia perpendẽs scrutiniô, veras hujus rei aperit causas, fieri id dictitans, nõ ex qvodam Dei erga suos odiô, sed ex ardentissimô amoris affectu, qvò meliori vita digni, ex ærumnoso hujus vitæ ergastulo exempti, procellosæ ingruentium malorum tempestati præripiantur. Qvemadmodum enim rerum suarum satagens paterfamilias, nubium moles densari, inq; majus excrescere, atq; horridô ac tenebricoso nigrore grã-

des

des minitari tempestates videns, ea præ cæteris in tranqvilliora ac tutiora transfert loca, qvæ pretiosiora habet & cariora, relictis ijs, qvorum minori afficitur curâ: ita etiam sapientissimus ille rerum humanarum dispositor Deus, eos præ alijs, qvos impensiùs diligit, instantibus malorũ procellis præripit, inq; tutiori & à grassantium malorum contagione intacto loco, ceu selectas pretiosissimi thesauri delicias recondit & asservat. Qvod divinissimus vates Esaias itidem, mirâ qvadam sententiæ sublimitate, exprimit, qvando 27. cap. eos, qvos Deus à sæviori malorũ invasione indemnes vult, hac προσφωνήσει alloqvitur: *Agepopule mi, intra in conclavia tua & occlude fores tuas tibi: Latita qvasi exiguô momentô, donec præterierit indignatio.* Id proinde maximè dolendum ac deplorandum est, qvòd tanta humanæ mentis sit stupiditas, tanta verioris æstimij paucitas, ut multi illud nec capere nec intelligere valeant, sed cum ijs potius, qvos ita fulminanti irruentium malorum tempestati præripi ac subduci vident, malè; secũ contrà, licet in pœnam superesse jubeantur, bene agi existimẽt, ac ne semel qvidem cogitent, qvo pacto ipsimet etiam instans malum effugere ac irati numinis indignationem à se avertere possint. Qvod sanè, si qvo aliô mundi seculo, hoc ultimô nostrô, qvô in pejus ruunt omnia, calidissimo lacrymarum fluore deplorandum est. Mori ferme qvotidie & ad tranqvillioris vitæ portũ transferri videmus eos, qvos diutissimè insuper superstites vixisse, & unica salꝰ nostra & sola salutis spes videri potuerat: nemo tamen est, hoc qvi attentiùs secum consideret, nemo est, qvi ipsis hoc in bonũ, nobis autem in pœnam fieri existimet, nemo, qvi iratos divini flagelli ictus deprecetur: omnes cœcô qvodam impetu, qvo vesana libido, neqvid gravius dicam, trahit, ferũtur, &, ceu ranæ illæ Ovidianæ;

 Cùm

Cùm jam ſint ſub aqvis, ſub aqvis maledicere tentant.
Fundi hæc noſtri eſt calamitas, cauſaq; unica, qvare, qvæ jam olim ſumma conſecuta videbantur complementa, majora majoribus indies augeantur incrementis, priorq; pernicies, præqvam hæc eſt, luſus ac jocus, imò ſalus fuiſſe videatur. In fati leges, ô dolor! conceſſit non ita pridem, Jlluſtriſſimus, Celſiſſimus, ac Reverendiſſimus Princeps ac Dominus, Dn. *Bogislaus* XIV. ultimus, ô dolor! iterum iterumq; ô dolor! in celſiſſimâ optimorum Principũ ac Ducũ Pomeranorũ familia, Princeps qvondã ac Dominus noſter clementiſſimus, nunc deſideratiſſimus, cujus morte nimis intempeſtivâ, qvantũ vulnus patria noſtra acceperit, & animus horret dicere, & lingva enunciare neqvit. Anteceſſit ipſum, ſiniſtrô qvodam omine, vir optimus & perpetuâ vitâ digniſſimus, admodum Reverendus, Nobiliſſimus & maximè ſtrenuus, Dn. *Chriſtophorus Zaſtrovv*, Jlluſtriſſ. ac beatiſſimi noſtri Principis qvondã ex Conſiliarijs intimis præcipuus, Archidicaſterij præſes, & Rev. Capituli Caminenſis vicedominus eminentiſſimus, in Drammin / Cortentin & Dobberpſul hereditarius; cujus præmaturã mortem laboranti & in extremis jam periculorũ ſyrtibus hærenti Pomeraniæ incommodiſſimã, indeq; maximè luctuoſam accidiſſe, nemo eſt, qvi non intelligat. Nos, miſſis in præſenti alijs, ut factæ in hoc tanto viri jacturæ magnitudo juſtiori penſitetur æſtimiô, cùm hodiernus dies ejus dictus ſit exeqvijs, vitã ipſius, qvam & laudatiſſimã, & univerſæ patriæ maximè ſalutarẽ inter mortales exegit, brevi narratione percurremus. Ortũ ſortitus eſt vir Nobiliſſimus ex familijs duabus cum antiqvô eqveſtris dignitatis ſplendore, tũ omnigenis virtutũ meritis celeberrimis Zaſtroviorũ & Flemingiorũ: de qvibus, in tã anguſtis hujus ſcriptionis cancellis, ſatius eſt planè tacere, qvàm tenuiter dicere. Parentes ipſi vitæq; ac

gene-

generis authores in utraq; lineâ contigerunt nobilissimi, maximè strenui, & lectissimarũ virtutũ ornamẽtis præcellẽtissimi; pater qvidẽ *Christophorus Zastrovv*, in Stregovv hereditarius; mater autẽ cultissima matrona, *Sophia Flemingia*, ex arce Moratz oriunda. Hos in paternâ lineâ antecedunt, Avus Conradus Zastrovv, Avia Gertrudis Köllers/ex arce Moratz; Proavus Joachimus Zastrovv; Proavia Margareta Pläten/ex arce Gritznitz: Abavus Georgius Zastrovv, her. in Stregovv; Abavia Margareta Flemingia, ex arce Böke. In maternâ autẽ lineâ Avus Joachimus Fleming, her. in Trebenow; Avia Sophia Petersdorfiana, ex arce Buddendorff: Proavus Conradus Fleming, her. in Trebenow; Proavia Anna Podevvilsen, ex arce Malnow: Abavus Johãnes Fleming, her. in Trebenow; Abavia Ermuthis Wacholtes, ex arce Dargitschläf: Atavus Christianus Fleming; Atavia Esthera Lockstedten/ex arce Drammin; qvorũ omniũ virtutũ laudes cùm hujus pagellæ angustia non capiat, sola hìc nomĩna recensuisse satis sit. Posset interim utraq; linea multò longiùs deduci, nisi illud & ob temporis angustiam molestum foret, & piè defunctus sæpiùs per vitam à Nobilissima & jam, ob insperatũ hunc casum, mœstissima Dn. vidua petijsset, ut, si suô ipsius fatum anteversurus sit, prolixiorem generis recensionẽ, ceu inanem ac non necessariam, prætermitti jubeat.

Ex his proinde Nobilissimis & eminentissimis parentibus pijssimè defunctus in mundanæ lucis theatrum prodijt annô Christi 1594. ipsô die divo Michaëli sacrô, intra 8 & 9 matutinam Julini, pauloq; pòst sacratô Baptismatis fonte initiatus cœlestis Hierosolymæ jus obtinuit; atq; deinceps per omnem puerilẽ ætatem, summâ curâ & diligẽtia, veræ pietatis initijs ac honestioris literaturæ rudimentis excultus est. Ac prima qvidem artium fundamenta in Schola Julinensi jecit, hinc Stetini, sub Clarissimi viri Dn.

M. Christophori Hunichij moderamine eam uberioris doctrinæ cognitionem adjecit, ut annô ætatis 18. dignissimus censeretur, qvi ad Academias ablegaretur. Missus itaq; annô 1611. circa Michaëlis festum, Gryphisvvaldiam; atq; inde, annô 1614. Rostochium; porrò annô 1619. Jenam; tandemq; annô 1620. Witebergam, eam in omnibus hisce celeberrimis Universitatibus, cùm in audiendis lectionibus, tum in freqventandis & habendis Disputationibus, atq; Collegijs publicis & privatis adhibuit diligentiam, ut summam utriusq; Juris ac rerum Politicarum cognitionẽ sibi acqvireret. Reversus proinde in patriam annô 1621. ab Illustrisso & Celsisso Principe ac Domino, Dn. Francisco, Duce Stetin. Pom. &c. Domino qvondam nostro Clementisso p. record. inter Ducalis Curiæ Referendarios, atq; hinc anno 1624. à pijssimè defuncto Clementissimô nostro Principe, inter Consiliarios Aulicos adscriptus; annoq; deinde 1625. Consistorij Ecclesiastici Director; atq; tandem annô 1629. supremi judicij aulici Præses cõstitutus est; qvæ officia omnia maxime ardua tanta fide & dexteritate sustinuit, ut summam inde laudem, cum apud alios omnes, tum inprimis apud Illustrissimũ ac Clementissimum nostrum Principem consecutus fuerit, atq; in Clementissimam fidelitatis præstitæq; in tam difficilibus officijs diligentiæ compensationẽ, Prælaturã, nim. Vicedominatũ Rev. Capit. Camin. acceperit. Anno 1629. 25. Januarij, ad Nuptialia sacra progressus, Nobilissimam omnigenisq; Virtutum ornamentis cultissimam Virginem *Hedevvigem*; Nobilissimi olim & maximè strenui viri, *Friderici à Rammin*, her. in Stoltenburg/ filiam dilectissimam; viduam jam mœstissimam, in toro nuptiali hîc Stetini sibi apponendam curavit; cum qvâ, in summâ animorum consensione & perpetuâ conjugialis amoris reciprocatione, exoptatissimum, per octennium

nium, & ſvaviſſimum matrimonium coluit, ex eoq́; divinæ benedictionis gratiâ, venuſtiſſimam ſobolis trigam, ex duobus filijs & unâ filiâ poſthuma, conſtantem, ſuſcepit, qvi omnes adhuc in vivis ſunt, utq; diutiſſimè ſint, & mœrentem mœſtiſſimæ matris animum ſvaviſſimis alloqvijs ac ſolatijs mulceant & recreent, animitus precamur.

Vitam ejus privatam & Chriſtianam converſationem qvod attinet, fuit ea omnino optima, nullisq́; non Chriſtianarum virtutum decoribus maximè conſpicua. Deum eſſentiâ unum, perſonis Trinum verâ ac ſincerâ pietate ſemper coluit: Verbi divini auditum ac ſacramentorum uſum maximi fecit, utq; pura & Orthodoxa Evangelij doctrina per beatum Megalandrum Lutherum reſtituta, in patria ſuâ ſarcta ac tecta conſervaretur, & ſeriò optavit, & qvantum in ſe fuit, curavit maximè. Ab omni faſtu & arrogantiâ longiſtimè abfuit, idq; unicè dedit operam, ut ad juſtitiæ regulam, cujus ſe ſupremum antiſtitem conſtitutum meminerat, Honeſtè viveret, alterum non læderet, ſuum cuiq; tribueret. Paucis: Bonam militavit militiam, retinendo fidem & bonã conſcientiam. Qvare etiam non dubitamus; cùm ante aliqvot menſes, nim. 25. Novemb. Anno 1636. ætatis ſuæ 43. poſt diuturnam cum ferali &, ut eventus docuit, lethali morbô luctam, nihil proficientibus pretioſiſſimis & artificioſiſſimè adminiſtratis medicamentis, id qvod in ſe mortale erat, intercedente pijſſimô animæ & corporis divortiô, ad melioris vitæ gaudia itentidem ſuſpirans, depoſuerit; qvin jam inter beatos cœlites lætiſſimos agat triumphos, atq; à juſtiſſimô illô judice Chriſtô Jeſu coronâ redimitus juſtitiæ pro momentaneis hujus vitæ laboribꝰ & afflictionibus æternum gloriæ pondus recipiat. Nos exanimi ejus Corpuſculo olim, cum omnibus ſan-

ctis,

ctis, lætissimam ad vitam æternam resurrectionem; nobilissimæ autem ac mœstissimæ Dn. viduæ, totiq; lugenti familiæ efficacem divini Spiritus consolationem, & omnium similium casuum lugubrium clementem aversionem, à Deo ter opt. max. omni piarum precum contentione optamus ac precamur.

Qvod superest, omnes ac singulos studiosos juvenes in Ducali nostro Pædagogio seriò exhortamur, ut horâ secunda pom. qvæ exeqviarum sacro dicta est, in auditorio majori conveniant, & Præceptores, honoris causâ in funus prodituros, freqventi & decenti comitatu seqvantur. Prop. publicè 20. Aprilis anno 1637.



